

1511 cum militibus quinque millibus, equitibus nongentis ab ea parte, qua salinæ sunt, castris positis, muros tormentis muralibus dejicere aggressus, eos qui solidissimi non erant, facile aperuit, sic ut ingredi se se posse confidet. At cives universi una cum mulieribus eo in loco aggere intra mœnia celeriter excitato, se munierunt. Intervim Andreas Civranus, equitum Epirotarum præfectus, Justinopoli adveniens alia ex parte in oppidum se intulit, auxilioque Mugianis fuit. Hostes labore oppugnationis frustra suscepto, interfectis ex eorum exercitu non paucis, vulneratis perplurimis, in quibus Friapanes ipse & magistratus Tergestinus fuerunt, discedere sunt coacti. Ea in oppugnatione Bombizæ virtus magno usui suis civibus fuit.

Taurisum  
ab hostibus  
obsidetur.

Cum hæc in Istris gererentur, Galli & Germani ad Taurisum obsidendum profecti, non longe ab oppido, modo hac modo illac castris positis, quod ab hostibus ex muro tormentorum pilis interficiebantur, urbem aggredi non sunt ausi: sed Silum flumen naviculis, quas secum in carris ferebant, trajicientes, quod non satis res illis frumentaria suppetebat, prædas undequaque abigebant eo facilius, quod agricolæ, tametsi jussi non semel edicto præfectorum fuissent, ut sua in tutum exportarent; id tamen facere magna ex parte neglexerant. itaque late atque ad loca longinquiora vagabantur; verum saepius non impune. nostri enim equites Epirotæ aliquam eorum manum assequuti cædes faciebant, prædas auferebant, commeatum qui eis superioribus e regionibus afferebatur, intercipiebant. quamobrem diebus pluribus in ea cogitatione consumptis, ad extremum desperantes oppidum rebus prope omnibus ad sustinendam obsidionem communitum capi posse, abierunt, ut se Vicetiam reciperent: cum paulo antea ob adversam valetudinem Joannes Franciscus Gambra Brixianus ex principibus civitatis, de quo superioribus libris diximus, in Colle Alto mortem obiisset. Gritus cum stipendio exercitui dando Patavium est profectus. quo quidem Balio e Fossa Clodia, advectis ad continentem

Taurisina  
obsidio sol-  
vitur  
VIII. id.  
nov.